



## PRODROMUS

LIBRI PRIMI.

## PRÆDIUM.



Uisquis compositam Ruri vis degere vitam,  
 Qui villas, agros, hortos, frondentia Tempe,  
 Deliciasque adamas suaves, vitamque beatam:  
 Huc ades, instituam breviter, quis rebus agendis  
 Sit modus in Campis. Certas sibi figere sedes  
 Persuadet Ratio. Stationes Bruta requirunt,  
 Speluncasq; adeunt, cum frigidus ingruit Imber;  
 In quibus hybernos possunt traducere Menses.  
 Si fas eligere, & superest tibi tanta Facultas,  
 Præcipue Bonitatem ejus circumspice Fundi;  
 Fertilis injectum num Fœnore reddat honesto  
 Semen, an herbosis adolescent Gramina Pratis.  
 Signa tibi Nemorum Fœtus certissima prodent,  
 Si procula altas sese sustollit in Auras,  
 Luxuriante Comâ, Ramisque patentibus Arbor,  
 Et rigui Fontes, & pingui littore Rivi,  
 Cura secunda etenim sequitur Virtutis aquarum;  
 Quippe in res plures harum diffunditur usus;  
 Quæ versare molas & ferri tundere massas,  
 Atque secare trabes serris adaquareque Campos  
 Effusis urnis, albareque Lintea possunt.  
 Aëreis hinc Ratio teneatur, saepe Lacunis  
 Inficitur, stagnisq; humecta palustribus aura,  
 Sæpe Intemperies & Frigoris atq; Caloris